



Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and the age of the paper.

7.
3
11



1660.

1. Bechmann, Joh. Volk. : De distractione pignorum.
2. Bechmann, Joh. Volk. : De in jus vocando.
3. Bechmann, Joh. Volk. : De jurebus hereditariis ac
nomine Saxonice
4. Bechmann, Joh. Volk. : De antiegyptis
5. Bechmann, Joh. Volk. : De consuetudine
principum.
6. Bechmann, Joh. Volk. : De potestate circa sacra
in imperio Romano Germanico
7. Bechmann, Johann Volk. : De fidei commissis ex causa
contra factores per alienationem extra familiam,
resultantibus.
8. Bijerus; Adrianus : Theses controversae e libro I
Justinianeae.
9. = Gerhard, Johannes Andreas : De supremis curiis
Jen parliamentis Galliae et Angliae. J. S. 1660. 1667.

1660.

10. Gerhard, James Aures: De parlamentis Galliae
in praesentis Praesentis
11. Gerhard, James Aures: De jure et potestate parla-
menti Britannici.
- 12^a & 13. Gerhards, Joh. Ernestus: De appellatione ad
supremum et incorruptum iudicium Jesum Christum,
quam vulgo citationem dicunt in valem Josaphat.
3 Saupl. 1660, 1671 ~ 1718
14. Richter, Christophorus Philippus: De recon-
secratione.
15. Richter, Christophorus Philippus: An trans-
actio vetus actio extinguatur?
- 16^a = Richter, Christophorus Philippus: De reformatione
injuriarum.
17. Schroeterus, Ernestus Fredericus: Explicatio l. 9 ff.
ad l. Rhod. ^{de} jactu vel et reliquarum

1660

18a⁵⁻⁶ Strauchius, Johannes: Berytus seu ad Tit. Paul.
de metropoli Beryto. 2 Sumpt. 1661: 1662.

19. Strauchius, Johannes: ~~Berytus seu ad Tit. Paul.~~
~~de metropoli Beryto. 2 Sumpt. 1661: 1662.~~
De C. Capitibus suburbi
causis seu de praefectura urbecaria ad Tit. Dig. de
officio praefecti urbi.

20. Strauchius, Johannes: De provocacione ad litem.

21. Struvius, Georgius Adam: De successione aspect.
Latinae in bonis allodialibus et feudalis iusq.
secularis ab occidentibus.

22. Struvius, Georgius Adam: De successione feudali.

23. Worma, Georgius: De genio II. descriptus naturam
geniorum ex mente Platoniorum.

14

10.

11.

129

14.

15

16

17



24

Pr. g. num. 45

I. N. J. 1660, 1

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

DISTRACTIONE PIGNORUM,

Quam

Auctoritate & consensu Magnifici in illustri
Salana Jctorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. *Bechmann*/

Jcto & Antecessore hujus Academiae celeberrimo,
Consiliario Saxonico, Dicasterii Provincialis, Facultatis juridicæ
atque Scabinatus Adessore gravissimo, Dn. Patrono ac Promo-
tore suo nunquam non devenerando,

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE
CAPESSENDIS

Publicæ disquisitioni submittit

PETRUS *Glaussen*/ Razeburgensis Saxo,
In Auditorio Jctorum

Horis ante & pomeridianis

Ad diem Junii Anno cto lxx LX.

JENÆ, Typis JOH. NISII.



P. 194.

1/1





I. N. J.

Iustitiam aliam universalem esse, aliam particularem ex Aristot. 5. *Ethic.* 2. 3. 4. plus quàm manifestum est. Illam versari in omni virtutum exercitio, quod legibus præcipi potest; hanc verò in bonis externis vel acquirendis vel conservandis vel omittendis consistere tralatitium est. Cum autem jus nostrum totum fermè in iis quæ ad justum particulare spectant, occupatum sit, attestante hoc ipsum Ulpiano in *l. ult. π. de LL.* dubium non est, quin bona externa sint, quæ sub contemplationem Jcti cadunt. Hæc autem vel ita sunt comparata, ut de una persona in alterã possint transferri, vel ut non possint; qualia sunt vita, valetudo, pulchritudo corporis &c. Quæ verò de una persona in alterã transferri possunt, hiscè velut externis & ab extra accedētibus utimur ad vitam. Multa quippè in gratiam nostri à natura producta sunt, quæ nobis non inhærent, sed extra nos sunt, quibus si uti velimus, ut apprehendamus eadem necesse est. Hæc autem bona quæ non inhærent homini, sed extra eum sunt, ab eo que separari & in alterum transferri possunt, *Rerum* nomine in jure nostro venire solent; adeò ut Res in ll. nostris nihil denotent aliud, quàm instrumenta quædã, quibus homo non ad vitam modò sed & beatam vitam utitur, ab homine separata. *t. t. Dig. & Inst. de rerum divis.* Hæc vero vitæ instrumenta partim à natura producta sunt, partim à prudētia humana excogitata. Illa vitæ instrumenta quæ in hominum gra-

tiam natura produxit, ut ea apprehendere & ad vitam ac beatitudinem conservandam dirigere possit, cuncta corporalia sunt, sensuque aliquo visus potissimum vel tactus percipi possunt. Quæ verò prudentia humana excogitavit vitæ instrumenta, ea in solo consistunt intellectu, & ita vitæ nostræ conservandæ inserviunt, quatenus per ea naturalia nobis instrumenta parare possumus, v. g. Titius decies mille imperiales mutuò dedit Mœvio, & quorannis usurarum nomine à Mœvio stipulatus est quingenta. Hæc quingentâ quod singulis annis Titio solvere teneatur Mœvius, id ipsum obligatio dicitur. Obligatio hæc est vitæ instrumentum sed incorporale, quia in solo intellectu subsistit & à prudentia humana profectum est: Instrumentum vitæ est Titio, propterea quia Titius hac obligatione utitur ad vitam suam conservandam, non quod immediatè hæc obligatio ad vitæ conservatiõem faciat, sed quod posita obligatione consequamur nummos, posito verò nūmo qui omnes res metitur, facile nobis paremus varia vitæ instrumenta à natura producta lanam lac, carnẽ &c. quibus postea immediatè ad vitam conservandam utimur. Quæ verò in solo intellectu subsistunt & vitæ nostræ conservandæ inserviunt, jura vocari solent. Hinc nata Juris nostris divisio rerum in corporales & incorporales, quâ de videantur *l. 1. §. 1. ff. d. Rerum Divis. & tot. tit. Instit. d. Rebus corp. & Incorp.* Hæc verò quæ dixim⁹ bona externa nō in nostra manu posita sunt, sed fortunæ subjacent arbitrio, adeò ut velificante commodis nostris fortunâ affatim ea acquiri, adversante verò eadem facillimè amitti possint atque corrumpi: hinc de securitate nobis paranda solliciti esse solemus. Quippe cum bona habere cum periculo, eodem ferè recidat ac si non habeamus: Imò gravius quandoque malum sit,

fit habere bona cum periculo, quàm nihil habere. Unde ex hoc ipso solatium petere inopes videmus, quòd, cùm nihil habeant, extra metum periculi & curas, quibus periculi metui occurrimus, vivere possint. Hi itaque, qui facultatibus bonisque externis abundant periculis ex possessione earum orituris occurrere solent, quærendo securitatem. Securitas namque ejusmodi bonum est, quod aliis bonis externis, in quibus occupata est justitia particularis accedit, avertendo in iis periculum. Est autem periculum nihil aliud, quàm objectum metus. Objectum autem metus est malum quoddam imminens quo bonum aliquod vel totum vel quoad partem destruitur. Sed quæso securitas hæc circa bona externa obtinetur? obtinetur ea mediantibus cautionibus. Cautiones namque sunt media illa quibus securum alterum reddimus metuentem sibi aliquid mali à nobis. Ast hæc cautiones nō unius sunt generis. Cùm enim mala imminencia nō unius generis existant, nec media eadem esse possunt, quibus metui malorum occurrimus. Interdum enim metuimus malum, quod pecunia æstimari potest si infligatur, & tunc sufficit cautio quædam pecuniaria. Parùm enim referre videtur an bonū amissum adhuc habeamus, an verò loco illius pecuniã sive id quod interest. Nonnunquam verò metuimus malum ex omissione boni, quod pecunia æstimari non potest, nec amissum restitui; tunc enim cautio quædam pecuniaria non sufficit. Hinc solent, qui mortem minitantur aliis, aut incendium urbi, non rarò in carcere detineri vel etiam planè è medio tolli, quò securitas obtineatur. Porrò autem bona illa externa, quæ si amissa fuerint, pecunia æstimari possunt ac reparari, in duplici sunt differentia. Alia enim corporalia & à natura producta; alia verò incorporalia & ab

Intellectu excogitata esse diximus. Hiscè autem bonis quæ ab intellectu excogitata sunt & incorporalia appellari solent, æquè substantiam & facultates nostras determinamus, quàm iis quæ à natura producta sunt & corporalia existunt. Quicquid enim alii nobis debent, hoc ipsum substantiæ ac facultatibus nostris non minùs rectè connumeramus, ac cætera corporalia bona, quæ nostra adhuc potestate servantur. Cùm itaque nominibus, juribus s. obligationibus æquè ac cæteris bonis externis corporalibus periculi metus accedere possit, locum quoque in iis habebit securitas, quæ uti dictum, cautionibus obtinetur. Circa nominum autem securitatem obtinendam sufficere potest cautio quædam pecuniaria. Etenim damna illa quæ ex nominum amissione oritura sunt, pecunia reparari possunt. Quatuor autem cautionum genera s. media quibus securitas circa jura, nomina s. obligationes obtineri potest, in jure nostro prodita reperimus, stipulationem puta, fidejussionem, jusjurandum, pignora. Hiscè enim solemus quædo contrahimus securitatem aliquam circa obligationes nobis parare. Omnium verò optima sibi cavendi ratio ea esse videtur, quæ pignoribus fit. Adeò namque decrecente ac deminuta nostris temporibus inter homines fide, parùm nonnūquam fidejussoribus, minùs verò jurijurando, omnium autem minimè stipulationi tribuendum esse, testis est experientia quotidiana omni exceptione major. Imò & ipsa juris regula dicitur, plus cautionis in re esse quàm in persona *l. 25. d. Reg. Jur.* Neque verò solent homines benè cauti cuiquam temerè credere sine pignore, ad quod alludit Martialis in suo epigrammate adversus Telesinum lib. 12.

Cùm rogo te nummos sine pignore: Non habeo inquis.

Idem, si pro me spondet agellus, habes.

Quod

*Quod mihi non credis veteri Telesine sodali,
Credis colliculis arboribusq; meis.*

Hanc de Pignoribus materiam pro Disputatione inaugu-
rali tractare quidem constitueram, verum cum pertractare
eandem temporis nobis angustia ac materiae amplitudo in
praesenti non permittat, aliquid saltem ex ea delibabimus,
ac minimam quidem hujus materiae particulam, quae de di-
fractione pignorum agit, decerpemus. Quo vero & hic
nobis inoffenso pede liceat progredi, operae pretium erit
paucula quaedam de definitione pignoris ejusque divisio-
nibus quantum quidem ad praesens institutum facient, praemittere. Sit itaque.

SECTIO I.

De Pignoris definitione ejusque divisionibus.

1. Patet jam ex supra dictis satis luculenter, Pignus qua-
tenus pro re sumitur haud incommodè definiri posse,
quod sit res securitatem tribuens contrahentibus vel ne-
gotium simile contractui gerentibus. Tribuere autem res
securitatem solent metuentibus periculum, dum jus ipsis
conceditur circa easdem, ut possint eas alienare, & ex pre-
tio accepto sibi ipsis solutionem facere. Hinc si penitiùs
essentiam pignoris scrutari volumus, rectè dicemus Pignus
quatenus pro re accipitur, esse rem quandam circa quam
tributa est metuenti periculum ex contractu vel alio nego-
tio, potestas alienandi, & per hoc alienandi jus remedium
periculis ex contractu imminentibus ob non servatam fi-
dem occurrendi.

2. Dividitur pignus in hypothecam & pignus in specie
ita dictum. Ratio hujus divisionis ex natura definitionis
dependet. Nam definivimus pignus rem, quâ securi reddi-
mus

mur adversus pericula inde nobis emergentia, si fides non servetur. Cum autem nonnullæ res ita sint comparatæ ut nos securos reddant etiamsi possessione earum destituamur; nonnullæ verò securitatem nobis non præstent, nisi & eas possideamus; hinc dico oriri duas illas pignoris species. Hypotheca enim pignus est, quo securi reddimur etiamsi illud non possideamus, aut in nostra potestate habeamus: Undè fit quod hypothecæ soleant esse rerum ut plurimum immobilium: Ex his enim securi reddimur, licet eas in nostra custodia ac possessione non habeamus. Pignus in specie sic dictum est circa quod nobis competit possessio & custodia, ut securi ex eo reddamur: Et quia hoc plerumque fieri solet in rebus mobilibus, cum nemo ex his securitatem sperare possit, nisi eas in suâ possessione habeat, hinc fit, quod pignus propriè rerum mobilium dicatur. *l. 238. §. 2. d. V. S.*

3. Hæ duæ species multa habent inter se communia, multa etiam propria quæ admodum confusè in jure nostro tradita reperiuntur. Quænam communia habeant ratione essentiæ suæ ex præmissis constare potest: Utrumque enim res est securum creditorem faciens: Quo & respectu pignoris & hypothecæ nulla dicitur esse differentia, sed nominis tantum sono diversitatem quandam in esse *l. 5. §. 1. ff. d. Pign.* Nam quod latini pignus, id græci hypothecam vocant: Quia tamen pignoris in genere sumti duæ sunt species, aut enim tantum jus in re habemus, aut cum jure & possessionem; inde factum quod hæc species latino pignoris nomine, illa græco hypothecæ appellata fuerit. Porro autem quomodo essentia differant, ex singulorum definitionibus colligi facile potest: Nimirum quia hypotheca non transit in custodiam & possessionem creditoris, vide-

videmus eam solo consensu s. nuda conventionē contra-
hi. At pignus quia in possessione & custodia Creditoris ef-
se debet non nudo consensu sed præter consensum traditio-
ne perficitur, quâ de causa *§. ult. Inst. Quib. mod. re contrahit.*
oblig. realibus contractibus annumeratur. Hinc dicitur
l. 1. ff. d. P. A. quod pignus non contrahatur sola traditio-
ne, sed etiam nuda conventionē, etsi traditum non sit; qua-
si diceret Ulpian. pignus in genere vel est pignus in specie
ita dictum, quod requirit præter cōsensum traditionem rei
& propterea realibus contractibus annumerari solet; vel
est hypotheca in nudo consensu subsistens, quia securita-
tem tribuit creditori, licet eam non possideat. Horum
autem alterum pignus, alterum hypothecam dici traditur.
l. 9. §. 2. ff. d. Pign. Act. Insignem ergò differentiam esse in-
ter pignus & hypothecam ex his constat. Differunt nam-
que inter se ut duo negotia quorum alterum exigit inter-
ventum rei, alterum consensu quovis contrahi potest.
Hypotheca namque quolibet pacto etiam tacito constitui
potest, quod clarissimi textus juris nostri indicant; & qui-
dem hypothecam non exigere vel scripturam vel verbo-
rum solemnitatem traditur *l. 4. ff. de pign. & hypoth.* adeò ut
si scriptura accedat, non nisi hunc in finem fiat, quò facilius
quid gestum probari possit. Nec interest utrum pactum de
hypotheca contractui in continenti, ntrum ex intervallo
sit adjectum. Habet enim hoc pactum à legibus in specie
hanc vim, ut jus reale tribuere possit paciscentibus: Imò
vel tacitum sufficere consensum testatur *l. 2. C. Quæ res pign.*
oblig. possunt vel non &c. ubi is qui suas emtiones i. e. instru-
mentum emtionis *den. Kauffbrieff* pignori dedit, tacitè ipsam
rem quam emit hypothecæ loco constituisse traditur. Ca-
sus elegans est in *l. 26. §. 1. ff. d. Pign. & hypoth.* de eo qui

B

con-

conscriptum instrumentum alteri, qui scribentis bona in obligationem dederat: Dum enim scripsit nec contradixit, tacite consensit in hypothecam.

4. Haecenus de pignore quatenus pro re sumitur, ut in §. 7. *Instit. de Action.* Cum verò & juris significationem habeat pignus, ita ut pro ipsa obligatione s. jure quod Creditor in re sibi pignorata habet, usurpetur. *tot. tit. ff. In quibus causis pign. tac. contrah. & t. t. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* non immeritò sub hac quoque ratione pignus contemplari pergimus. Videtur autem pignus quatenus pro jure usurpatur rectè definiri posse, quod sit jus circa rem tribuens securitatem. Hinc spontè jam sequitur Hypothecam quatenus pro jure sumitur nihil esse aliud, quàm jus circa rem aliquam sine possessione securitatem afferens. Hujus duæ sunt species: Alia enim est hypotheca generalis, alia specialis. Generalis hypotheca est quando consequimur jus securitatis ex omnibus debitoris bonis, quæ quocunq; tempore debitor possidet: Hujus proprium est, ut Creditor non opus habeat probare, rem quam sibi vindicat hypothecaria actione in bonis debitoris fuisse cum pignori daretur. Quod secus est in speciali hypotheca præsertim si non sub conditione sed simpliciter data sit. Tenetur enim Creditor probare si jure pignoris utitur rem fuisse in bonis debitoris cum hypothecæ daretur. *l. 15. §. 1. l. 1. ff. d. Pign. add. l. ult. C. Quæ res pign. oblig.* Quæ verò contineantur hypotheca generali, *vid. Neguz. part. 1. membr. 2. per tot. Lucubrat. Vatic. Card. Mantica lib. 11. tit. 4. per tot. de tac. & ambig. convent. Hahn. in observ. ad Wesenb. tit. de Pign. & hypoth. Num. 1. Bachov. lib. 1. c. 5. 6. & 7. tr. d. Pign. Balduin. tr. d. Pign. c. 9.* Specialis hypotheca est jus circa certam aliquam & determinatam rem. Ejus propria affectio

affectio traditur. *l. 2. C. d. Pign.* Quod quamvis ei qui generalem hypothecam habet & prior tempore est, altero specialem habente, concessum sit quaecumque rem distrahere & sibi satisfacere; nihilominus si generalem hypothecam habenti ex cæteris bonis satisfieri possit is à specialibus hypothecis abstinere debeat, æquitatem hac in re observante Prætore.

5. Pignus in specie ita dictum ab hypotheca differt, quod nim. non sit nudum jus circa rem, sed jus cum possessione rei. *l. 35. §. 1. ff. d. Pign. act.*

6. Porrò pignora dividuntur in tacita & expressa. Cùm enim hypotheca conventionione constitui soleat, omnis autē conventio vel sit expressa, quando convenientes oratione suum consensum declarant; vel tacita quando ex factò alicujus consensus ipsius colligitur: Hinc & omnis hypotheca vel est expressa vel tacita. Estque tacita hypotheca propriè quando ex factò alicujus colligitur consensus de re oppignoranda. Tacitis hiscè pignoribus annumerari in jure nostro legalia solent, quod testatur *tit. D. & C. In quib. causis pign. tac. contrah.* cujus ratio patebit, simul ac de legali pignore quid sit, fuerit dictum.

7. Tandem pignora alia sunt Conventionalia, alia legalia, alia denique Prætoria. Undè autem descendat hæc divisio, quæque specierum istarum sit natura repetita definitione nostra apparebit. Definivimus pignus quod sit res in securitatem data ne ex obligationibus & contractibus creditores pericula damni subire cogantur: Cùm verò sine securitate nullum bonum externum pro bono habendum sit & ita magna illius vis sit; hinc curam securitatis in contractibus etiam ipsæ leges ipsique magistratus suscipiunt, privatis quoque ut suæ securitati consulant per pacta &

conventiones concedunt: Sunt enim nonnulla privatorum prudentiæ relinquenda in contractibus. Patet ergò necessariò tres species pignorum hinc oriri. Nam jus circa rem ut creditores inde securi fiant vel constituunt leges vel magistratus, vel ipsi privati inter se ita paciscentes. Est itaque pignus Conventionale jus circa rem quod à privatis ita paciscentibus constitutum est. Legale autem est jus in re quod certis in negotiis ob securitatem tribuit lex, licet inter eos qui negotium gerunt nulla mentio pignoris sit facta, ita v. g. lex tribuit pupillo hypothecam in omnibus bonis tutoris, licet inter pupillum & tutorem nihil conve-nerit. Ex quo statim apparet, quare pignora legalia tacita vocentur. Nam leges scire omnes præsumuntur. Quod si ergò leges in certis negotiis jus pignoris tribuerunt, videtur illi qui ejusmodi negotia suscipiunt hoc ipso tacitè consentire in jus pignoris à lege constitutum, v. g. quia leges constituunt, ut tutoris bona pupillo cui præ-est, pignori sint obligata, hinc dum tutor incipit administrare, tacitè volùtatem suam declarare videtur de suis bonis pupillo oppignerandis. Sic qui à muliere accipit dotem tacitè in hoc consentire videtur, ut ipsius bona omnia mulieri obligata sint. Sine hac enim oppigneratione nullum maritum leges permittunt dotem accipere. Qui ergò vult antecedens i. e. accipere dotem, censetur & velle & consentire in necessariù consequens i. e. in hoc quod leges volunt ipsius bona pignori in securitatem uxoris obligata esse. Pignus Prætorium est quod jussu magistratus constituitur *l. 29. ff. d. Pign. act.* Hoc autem iterum dispescitur in judiciale ac Prætorium in specie ita dictum. Judiciale est quòd ob rem judicatum, si nolit satisfacere reus, capitur, *l. 15. ff. de Re jud. l. 3. C. d. exercit. rei jud.* Prætorium in specie ita dictum est quod

quod decreto magistratus constituitur ob cōtumaciam de-
bitoris coercendam ex primo decreto, causa damni infecti.
l. 4. §. 1. l. 15. ff. d. damno infecto. aut propter non præstitam
cautionem. *l. 14. §. t. t. ff. ut legat. vel fideic. servand. l. 7. §. 6.*
ff. Ex. quib. caus. in poss. Hæc prætorialia pignora hoc habent
commune, quod utrumque tribuat jus in re, bonaque affi-
ciat. *l. 15. §. 2. ff. d. Re jud. l. 1. C. Si in caus. judic. l. 2. C. de*
Pign. l. 3. C. Ut in possess. legat. Proprium vero pignoris judi-
cialis hoc est, quod præter jus in re tribuat quoque jus pos-
sessionis. *l. 15. §. 4. de Re jud. l. 25. C. d. Usucap.* Prætorium
autem in specie ita dictum nudam duntaxat detentionem
operatur & jus rei custodiendæ *l. 5. pr. §. 22. ff. Ut in possess.*
legat. l. 15. §. 20. 21. de damn. inf. l. 3. §. fin. ff. de Acquir. possess.
vid. Hahn. in observ. ad tit. de Pign. & hypoth. n. 3. Bachov.
cap. 3. tr. de Pign. Hiscè ita præmissis generalibus, ad rem
ipsam propiùs nos conferimus, de pignoris, uti constitu-
tum nobis est, distractione dicturi. Sit itaque,

SECTIO II.

De Pignorum Distractione.

1. Præcipuum omnium jurium, quod Creditoribus est
in rebus pigneratis tributum, in facultate distrahendi, posi-
tum est. *l. 14. C. d. Distract. pign.* Hæc enim est quæ plenissi-
mam creditori securitatem præstat. Hanc etiam propterea
leges tuentur, nè impediri à debitoribus queat, sive in testa-
mento eam prohibeant. *l. 2. C. Debit. vend. pign. imped.* sive
à venditione dum eam Creditor instituit, appellent. *l. 7. §.*
ult. π. de Appell. recip. Sive denique contra eandem prote-
stentur. *l. 2. C. Debit. vend. pign. add. l. 7. π. de reb. eorum qui*
sub tut. Neque est quod à Creditore posteriore facultatem
distrahendi priori competentem impediri posse putemus.

l. 2. § ult. C. Si antiqu. cred. Siquidem una duntaxat impediendæ hujus facultatis ratio est, nimirum si quod Creditori debetur, in solidum offeratur. *l. 25. §. 14. ff. Famil. ercisc. l. 2. C. Debit. vend. pign. imped. non posse l. 3. C. Si antiqu. Cred.*

2. Circa hanc distrahendi facultatem nunc quidem nostra occupabitur Dissertatio: Quæ ut debita absolvatur methodo, eoque quo par est ordine decurrat, eam, quam nobis ipsa pignoris natura viam aperit, ingrediemur. Etenim cum pignus ex nostra definitione sit res securitatem contrahentibus tribuens: Securitas autem ex pignoribus haud aliter obtineri queat, quam si Creditoribus facultas distrahendi circa eadem permittatur, consequens est, facultatem hanc, qualis ea sit, ante omnia considerandam esse. I. Itaque caput de facultate pignoris distrahendi, qualis ea sit tum ex natura pignoris, tum ex pactis quæ pignoribus adjecta contrahentibus solent, explicabit. Deinde necesse quoque est in distractione pignorum, dari creditores qui distrahant; proinde II. cap. Quinam creditores distrahere pignora possint, quale eorum sit officium, quæque circa distractionem habeant jura demonstrabitur. Porro & debitores quorum pignora in distractionem veniunt dari necesse est: Unde & cap. III. Debitores eorumque jura quæ circa distractionem attendenda veniunt, exhibebit. Cum & præterea distractio & venditio pignorum celebrari haud queat, nisi sint quibus vendantur: Hinc IV. cap. de iis quibus pignora vendi possint, quæque horum sint jura pertractabitur. Tandem verò cap. V. Quæ pignora possint distrahi, & quomodo eorum distractio facienda sit, subjiciet.

CAPUT

CAPUT. I.

De Facultate distrahendi qualis ea sit tùm ex natura pignoris tùm ex pactis adjectis.

1. Definivimus pignus quod sit res quædam circa quam tributa est metuenti periculum ex contractu vel alio negotio, potestas alienandi, & per hoc alienandi jus remedium periculis ex contractu imminentibus ob non servatam fidem occurrendi. Hinc manifestum evadit essentiam pignoris in hoc consistere, ut propter distrahendi facultatem in defectu solutionis quis securus reddatur. Jus itaque distrahendi cum pignoris jure tam arctè conjunctum esse videmus, ut à pignore, quamdiu quidem nomen suum retineat, separari haud possit. Id quod egregiè comprobatur Papinianus. Is enim cum negare vellet rem pignori obligatam fuisse alicui, dixit hunc frustra rem distrahere *l. 1. §. 1. ff. d. Pign.* Et è diverso ex pacto rei distrahendæ colligit tanquam antecedens rem pignori obligatam esse. *l. 3. §. ult. ff. Qui pot. in pign.* Sic quoque cùm Prætor ex causa permittit rem pupillarem obligari, simul intelligitur creditori jus deinde vendendæ ejus rei dare: adeò ut nec in ejus alienatione novo Prætoris decreto sit opus. *l. 7. §. 1. ff. d. Rebus eor. qui sub tut.* Undè jam firmiter concludo, quod omnis ille qui pignus dedit, hoc ipso quod pignoris loco rem esse voluit, simul etiam convenerit, ut distrahere liceret, licet hac de re initio contractus nihil sit dictum. *l. 1. C. d. Pact. pign.* Et quamvis moris fuerit, ut in contrahendo pignore nominatim quoque paciscerentur de ejus vendendi potestate si ad diem pecunia non solveretur; undè & Imp. Alexand. pactum hoc vulgare fuisse ait. *l. 4. C. d. pign. act.* nihilominus etsi nominatim hoc non convenerit, tamen pro convento

vento habetur & pignoris juri inesse censetur. *l. 4. verb. sed et si. ff. d. Pign. Act.* Imò verò etsi expressim convenisset, ne Creditori distrahere liceret, tamen leges nostræ non id actū esse præsumunt, ne omninò liceret; alioquin pignus pignus non erit: Sed ut ne liceret statim, aut post unam atque alteram frustrationem debitoris. Undè etiam pactum de non vendendo ne planè frustraneum sit, hoc tantum operari volunt, ut trina prius debitori denuntiatio à creditore fiat, quàm ad distractionem pignoris progrediatur. *l. 4. §. 5. d. Pign. act.* Quo & loco cum Ulp. dixisset, creditorem furti obligari si vendat, cum convenit ne venderet, addit hanc conditionem, nisi debitori ter fuerit denunciatum. Unde intelligi potest, quomodo sit accipiendum; quod alio loco simpliciter dixit, furti eum teneri si vendat. *l. 75. d. Furt.* Sed trinam istam, quam diximus denunciationem sic accipere debemus, non ut eodem tempore ter ita dicatur debitori, solve, solve, solve: (Nam hoc nihil ab una denunciatione differret, & plus quam veteratorum esset tres denunciationes verbis exigere, quæ re ipsa nihil amplius commodi afferrent reo ad conquirendam pecuniam quàm una) Sed ita ut inter singulas denunciationes aliquod temporis intervallum intercedat. *Donell. cap. 10. tract. d. Pign. add. Negus. membr. 1. part. 6. n. 4.* Quantum verò illud esse debeat, de eo inter Interpretes non convenit. Alii enim inter unamquamque denunciationem si unus dies intercedat, satis esse conjectant. *vid. Bart. Gl. in l. si convenit 4. ff. de Pign. act.* Alii verò tridui, *Jason in l. si certis annis. 28. n. 4. in fin. C. d. Pact. Ari. Pinell. in l. 2. part. 2. n. 8. C. d. Rescind. vendit.* Plerique autem decem dierum spacium requirunt; ita ut trina illa denuntiatio non minùs quàm triginta dies complectatur. *arg. l. 21. ff. d. Constit. pec. l. 68. 69. de Judic.*

Donell.

Donell. cap. 10. de Pign. Obrecht. disput. de Pign. th. 372. 373.
Besold. sect. 6: n. 11. de Pignor. Ast meræ hæ sunt conjecturæ.
Silent enim hîc leges nostræ: adeoque certi quippiam de-
terminare vix integrum erit. Puto itaque si eâ de re credi-
torem inter ac debitorem lis oriatur, judicis prudentis ar-
bitrio totum negotium relinquendum esse. *vid. Neguzant.*
d. tr. part. 6. membr. 1. n. 4. & ibidem ab ipso allegatos Jac. Butr.
Salicet. Paul. de Castr. in d. l. si convenit. 4. ff. d. Pign. action.

2. Quò verò de qualitate distractionis ex ipsa pignoris
natura porrò nobis constare queat, iterum præmissa à no-
bis pignoris definitio huc repetenda venit. Definivimus
autem pignus quod sit res securitatem tribuens creditori:
At quomodo? Certè nō aliter quàm si facultas sit creditori
rem istam alienandi. Quorsùm verò isthæc alienatio? Ut
Creditor ex pretio pignoris alienati sibi metipsi faciat satis.
Undè jam liquet, distrahendi facultatem à potestate sibi met
pro debito satisfaciendi normam quasi ac regulam capere.
Quapropter facultas distrahendi pignus eatenus creditori
competere videtur, quatenus ex illa distractione jus habet
satisfaciendi sibi pro debito integro non soluto. Si itaque
plures sint res pignori obligatæ quarum una vel altera ad sa-
tisfaciendum Creditori sufficere possit, utique creditori
non licebit universas distrahere. *arg. l. 9. & 4. C. de distract.*
pign. l. 15. §. 2. ff. de Re jud. Gloss. Bart. Bald. & Salycet. in l.
quamdiu. 2. C. de Distract. pign. Negus. membr. 1. part. 6. n. 28.
Tr. de Pign. & Hypoth. Obrecht. d. Disput. de Pign. th. 378. Cöler.
de Process. Execut. part. 3. cap. 9. num. 45. Frantzke. Comment.
adh. t. n. 28. Quod & ipsum ita judex in hypotheca obser-
vare tenetur, ut siquidem una aliqua res sufficere possit cre-
ditori, deneget persecutionem aliorum. Bachov. lib. 3. de
Pign. cap. 23. num. 1. add. Ordin. Judic. Elect. Saxon. cap. 39.

C

S. Im

§. Im fall nun. Berlich. part. conclus. 81. Hartm. Pistor. lib. 3. quæst. 12. n. 7. seqq.

3. Hinc porrò quoque est quod à Divis fratribus Severo ac Antonino *l. 2. C. de Pign.* constitutum legimus in eo, qui specialiter quædam, & universa bona generaliter pignori accepit: Hic enim quamvis æquale jus in omnibus habeat, nihilominus si ex his, quæ nominatim ei pignori obligata sunt, universum debitum redigere possit, ea quæ postea ex iisdem bonis pignori accepit distrahere prohibetur.

4. At dices hac ratione effici, ut pignus majoris pretii pro minore debito totum distrahi nequeat? Sanè ex præmissis utique id statuendum videtur. Nam cum facultas distrahendi eatenus duntaxat Creditori competat, quatenus ex pretio pignoris sibi pro debito satisfaciendi habet potestatem: Potestas autem hæc ultra veram debiti quantitatem neutiquam sese exferat. Hinc etiam pro ea duntaxat portione, quâ debitum magni pretii pignus æquat, distrahi id ipsum oportere dicendum esset. Verùm cum hæc è pignoris pro parte distractio multas sine dubio paritura esset difficultates atque hæc ipsâ ratione creditoris securitati non satis foret consultum, leges nostræ totius pignoris distractionem vel pro minima debiti residua parte creditori permittant. *l. 6. C. de Distract.* Est enim securitas res quàm maximè favorabilis, cui leges nostræ subveniunt largissimè, ita ut pignus non nisi integro debito soluto liberari permittant. *l. 19. ff. de Pign. & hypoth.* Quo ex fundamento porrò & hoc descendit quod particularis solutio jus distrahendi non tollat. *l. 8. §. 2. ff. de Pign. act. l. 16. C. de distr. pign.* licet heredes sint debitoris, qui pro sua portione solverint: Quemadmodum & contra si creditor plures heredes habeat, & uni ex his pro parte solutio fiat, cæteris nihilominus competat

petat jus integrum pignus distrahendi, oblato debitori eo, quod coheredi eorum solutum est. *l. ii. §. 4. ff. de Pign. act.*

5. Haftenus de Facultate distrahendi qualis ea sit ex ipsâ pignoris natura pervidimus: Nunc qualis tandem sit ex pactis adjectis dicendum restat. Solent enim nonnunquam contrahentes conventioni de pignore pacta, quæ distrahendi facultatem concernunt adjicere. Hæc autem pacta licet ipsam distractionem prohibere nequeant, modum tamen distrahendi plerumque præscribere solent, casus est *in l. 8. §. 3. d. Pign. Act.* In genere autem de pactis hiscè notandum est, quod lucri quicquam creditori haud addere possint: Usurariam enim hoc saperet pravitatem si plus ex pignore vendito acciperet Creditor, quam ipsi debetur. Hinc superfluum debitor actione pigneratitiâ à creditore repetere potest. *l. 5. C. Si vend. pign. agatur.* Quæ verò creditori aliàs ex natura pignoris circa distractionem concessa sunt, hæc et pacto de vendendo inesse censentur: Unde si debitor pacto concesserit facultatem vendendi Creditori, nõ modò ob sortem verum etiam ob non solutas usuras cæterasque impensas in rem pigneratam factas venditionem concessisse videtur. *l. 8. §. ult. ff. d. P. A.*

6. Sed cum pacta alia in personam, alia verò in rem concepta esse dignoscantur, *ex l. 7. §. 8. ff. de Pactis.* non immeritò hîc quæritur utrum pactum de vendendo realibus an verò personalibus pactis accensendum sit? Resp. Pompon. *l. 8. §. 4. π. de P. A.* pro reali illud habendum esse ac propterea ad heredem transire, licet Creditoris duntaxat persona pacto comprehensa sit, plerumque enim (uti Ulpianus ex Pedio ait) persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est. *d. l. jurig. 7. §. 8. ff. d. Pact.*

7. Porrò quemadmodum pacta in genere contractibus adjecta alia valida sunt, alia invalida, ita & ea pacta, quæ de satisfaciendo in eventum non factæ à debitore solutionis confecta sunt, alia valida alia invalida existunt. Sic validum pactum est nec improbandum si initiò convenit, ut si intra certum tempus pecunia soluta non sit, Creditor rem emtam habeat, nō eâ quantitate, quæ debetur, sed justo prætio tunc æstimandam. Est enim in rei veritate sub conditione facta venditio. *l. si fundus. 16. §. ult. ff. de Pign. & Hypoth. vide sis Imol. Abb. & alios in cap. significante. 7. ext. de Pign. Cyn. Bart. & Salycet. in l. 3. n. 2. ad fin. C. d. Pact. pign. Angel. in l. cum conven. 13. n. 3. in fin. C. de Pign. Tiraquell. de retract. convent. in fin. num. 136. Negus. d. tr. p. 4. n. 6. Covarr. Var. Resol. lib. 3. c. 2. n. 7. vers. secundò pact. illud. n. 8. vers. secundò infertur.* Notanter autem Martianus in *d. l. 16. §. ult.* Justi pretii facit mentionem: Illa enim verba justo pretio faciunt, ut res in arbitrium boni viri collata esse intelligatur. Justum enim est quod Vir bonus arbitraturus est. Unde non est quod hujusmodi venditionem fortè propter pretii incertitudinem minus validam esse putemus. *arg. l. 25. pr. π. Loc. cond. Cùm arbitrium boni viri nec incertum nec indefinitum sit. l. 1. π. de Legat. 2. vid. Donell. de Pign. cap. 11.* Hinc etiam, quando Scævola in *l. ult. pr. D. de contrah. emt.* meminit debitoris cùm suo fidejussore sub tali conditione paciscentis, ut pignus emtum habeat, si intra triennium proximum eum non liberaverit; Emtum justo pretio intelligere debemus, non & eâ pecunia, quam creditori solvit fidejussor debitoris pignorisque liberandi causa. Id enim propter prohibitam in pignoribus comissoriam L. non licet *l. 3. C. de Pact. pign. vid. Negus. d. tr. part. 4. n. 6. vers. secundò fallit. Covarr. lib. 3. Var. resol. c. 2. n. 7. Dn. Franzk. comm. ad tit. de Pign. n. 54.*

c. 5.

c. 5. Coepoll. tr. de cautel. 244. n. 1. & 2. Carpzov. in respons.
lib. 5. tit. 2. resp. 12. Coler. de process. execut. p. 1. c. 10. n. 214.

8. Sic quoque pactum ἀντιχρήσεως & pignori adjectum va-
lidum est, ac jure quidem civili moribusque nostris appro-
batur. l. 11. §. 1. l. 1. §. 3. D. de Pign. l. 33. & 39. D. de P. A. l. 9. §.
ult. ff. de Supell. leg. l. 8. π. In quib. causis pign. & c. Gail. 2. obs.
3. per tot. Mynsing. cent. 6. obs. 71. Ernest. Cothm. Vol. 2. resp. 57.
n. 18. Carpz. jurispr. forens. p. 2. Const. 30. definit. 40.

Est autem ἀντιχρήσεως cum convenit ut creditor in vicem
usurarum pignore utatur fruatur. Hanc nonnulli Dd.
duplicem faciunt tacitam aliam, aliam expressam: Hanc
esse ajunt quando expressè convenit, ut creditor fructus rei
oppigneratae pro usu pecuniae lucretur atque retineat. l. 17.
C. de usur. Illam verò quando quis mutuos nummos sine
usuris accepit & creditori rem quae fructus fert, pignori tra-
didit; hoc ipso enim tacitè conventum esse censent, ut cre-
ditori in usuras fructus percipere liceat. l. 8. ff. In quib. caus.
pign. tac. contrah. Cujac. lib. 8. observ. 17. Robert. 1. recept.
lect. c. 14. Borch. in tract. de usur. c. 6. n. 3. Sed hanc ἀντιχρή-
σεως & divisionem impugnat Hottomannus lib. 1. obs. 4. con-
tra hunc tamen eam adserit atque defendit Christoph. vom
Hagen de usu usurarum & annuis reddit. c. 11. n. 13. & seqq.
Nos secundum Hottomannum sentimus & cit. l. 8. in qua
sedem tacitae antichreseos collocant, communiter cum In-
terpp. intelligimus de usuris pacto promissis. Licet enim
pactum hujusmodi inutile sit ad agendum, tamen facit, ut
per retentionem pignoris usuras quis consequi possit. l. 4.
C. de Usur. Et usuras etiam pacto promissas indebitas
dici, docent l. 5. §. 2. ff. de Solut. l. 26. in pr. ff. de Condict. Indeb.
codemque respectu, quo indebitae dicuntur usurae pacto
promissae, potest dici pecunia gratuita.

9. Verum enim verò ne injusta sit antichresis & in fraudem legitimæ usuræ contracta videri possit, eam ad modum & finem legitimæ usuræ revocari necesse est: Id quod in tacita quidem antichresi (siquæ talis est) dubio vacare putamus, per *l. 8. ff. In quib. caus. pign.* Verùm in expressâ quid dicendum veniat, non usque quaque expeditum est. Cerrè distingvendum hîc cum Dd. inter fructus, qui vice usurarum percipiuntur certos, & incertos. *l. si ea lege. 17. & l. oleo. 23. C. de Usur. add. Molina. de Usur. quest. 1. n. 112. Borch. de Usur. cap. 3. num. 41.* Quando fructus sunt certi, tùm ut justa sit antichresis, legitimarum & licitarum usurarum modum excedere non debent. Cùm enim antichresis vicem usurarum obtineat: Surrogatum autem, sapiat naturam ejus, in cuius locum surrogatum est: Neq; verò usuræ promiscuè omnes, sed illæ tantùm quæ justum ac legitimum modum non excedunt, licitæ sint ac permissæ: Leges quoque in hoc ipso contractu antichreseos distingvant inter fructus certos & incertos, certumque modum & terminum eidem præfigant, nim. usque ad centesimam *l. 1. §. 13. ff. de Pign. & Hypoth. l. 14. 16. 25. 26. C. de Usur.* Consequens est, tùm demum antichresin de jure & consuetudine licitam esse ac permissam, si fructus rei oppigneratæ justum ac legitimum usurarum modum non excedant. Sin autem excedant reductio ad legitimum usurarum modum fieri, & illud quod excedit aut restitui aut in sortem computari debet. *Gail. lib. 2. obs. 4 & 5. Cöpp. decis. 22. n. 13. & seqq.* Quamvis tamen modicus excessus tam præcisè non attendatur. *Andr. Rauchb. quest. 20. n. 38. p. 1. Carpz. part. 2. Constit. 30. definit. 40.* præcipuè illis in fructibus, qui industriam hominis requirunt, nec per omnia adeò certi ac uniformes sunt;
Et

Et sic pernunciatū in Scabinatu Lipsiensi esse testatur Andr. Scheffer. quæstion. practicab. 17. part. 1. hiscè verbis. Es hat N. N. ezlichen Einwohnern zu N. ezlich Geld an unterschiedlichen Posten vorgestreckt/ und es haben gedachte Einwohner bemeldten N. N. ezliche Stücke Aekers / mit ihres Erb- und Lehen-Herren Gunst/ dergestalt verschrieben/ und eingeräumbt/ daß er an stat der Zinsen/ solche äcker jährlich zu nutzen und zu gebrauchen macht haben sol. Ob nun wol N. N. die eingeräumte Aecker jährliches auff ein höhers und mehrers/ als sonsten von den außgeliehenen Gelde an Landüblichen Zinsen haben können/ genossen/ dieweil er aber dennoch hiergegen berührte Aecker durch seine eigene Arbeit beschicken und von seinen Saamen besäen/ auch dabeneben/ die Gefahr des Mißwachs tragen und erwarten müssen/ so ist er auch von der erzeugten und eingenommenen Früchten und Nutzungen/ obgedachten Einwohnern Rechnung zu thun/ und ihnen davon etwas heraus zugeben/ oder derentwegen ihme an der Hauptsumma seines außgeliehenen Geldes/ etwas abziehen zu lassen/ nicht schuldig. *B. N. W.* Veruntamen si excessus immodicus sit & nimius, ita ut licitas usuras longè superent proventus, creditores ad rationes reddendas fructusque superfluos restituendos vel sorti imputandos rectè compelluntur. *vid. Magnif. Dn. Richt. part. 2. decis. 74. n. 14. Carpzov. in tract. de asyl. gener. debit. cap. 1. th. 13. per tot. Menoch. l. 2. de arbitr. jud. c. 2. cas. 145. n. 2. 3. Franc. Cardin. Mantic. lib. 11. tit. 8. per tot. de tacit. & ambig. convent.* Quando autem fructus incerti sunt, veluti qui ex aucupio, venatione vel piscatura percipiuntur, tum licet immodici sint ac usurarum modum longè superent, eos tamen tanquam periculi pretium creditor lucratur, cum etsi minus vel etiam nihil fructuum percepisset, eo tamen contentus esse deberet. *vid.*

Anton.

Anton. Fabr. decad. 9. error. 5. Rauchb. part. 1. quest. 20. n. 38.
Hahn. in Observ. ad Wesenb. tit. de Pign. & hypoth. n. 5.

10. Tandem circa antichresin ex *Nov. 120. cap. 4.* notandum venit, quod ecclesia debitis obnoxia prædia quidem sua sub lege antichreseos pignerare possit: Veruntamen ita, ut creditor non omnes fructus percipiat ac lucretur pro usuris, sed duntaxat usque ad partem quartam centesimæ i. e. 4. pro centum: quod superest ex fructibus hoc sortem minuat. Ratio hujus constitutionis nulla alia assignari potest quàm favor ecclesiæ & religionis. *Rittersh. part 1. cap. 8. n. 66. & seqq. Comm. ad Novell. Quæ verò ratio sit, quod Justinianus Nov. 32. 33. 34. omnem antichresin tam mobilium quàm immobilium ab agricolis accipi vetuerit, poenâ in utrumq; caput constitutâ amissionis sortis & usurarû, siquid à creditore contra fuerit factû, vid. latè explicantè Christoph. vom Hagen cap. 11. num. 27. & seqq. de usu usur. & ann. reddit.*

11. Hactenus de pactis validis. Invalidum ac jure improbatum est pactum commissorium s. lex commissoria, quæ à Dd. communiter definiri solet quod sit pactum, quo inter debitorem & creditorem convenit, ut nisi statuto die debitum solvatur pignus pro amisso haberi & creditori pro quantitate debiti pleno jure acquiri debeat. Dicitur autem hæc lex commissoria in pignoribus ad similitudinem legis commissoriæ in venditionibus, quâ id agitur, ut si ad diem pecunia soluta non erit, fundus sit inemptus. *l. 2. D. de Lege Commiss.* Uti enim illa efficitur (verba sunt Donelli) ut pecunia ad diem non soluta statim dominium rei emtæ emtoris esse desinat poenæ loco, & venditoris esse incipiat: Sic ista de pignoribus lege id agitur, ut pecunia creditori non soluta, dominium rei debitoris esse desinat, & continuo creditori poenæ cujusdam causa committatur. Verbi
ratio

ratio ex commissis in vectigalibus ducta videtur. Nam committendi verbo utuntur leges nostræ, quoties quid alicui adimitur & alteri datur, quia quippiam vel factum non est quod debuit; vel factum quod non debuit. Hoc pactum commissorium olim quidem licitum fuit, si vera sunt quæ disputat *Bachov. dict. tract. de Pign. lib. 1. cap. 15.* Hodiè tamen prorsus est abolitum & antiquatum. *l. ult. C. de Pact. pign. c. significante 7. ext. de Pign. 1. Feud. 27. in pr. latè Card. Mant. lib. 11. tit. 9. per tot. de tacit. & ambig. convent. Cöler. de process. execut. part. 1. c. 10. n. 212. cum tribus seqq. Dn. Frantz. Comm. ad Dig. tit. de Pign. & hypothecis n. 50. & seqq. Dn. Richt. tract. de Contract. Disput. 6. th. 4. lit. D. Dn. Carpzov. Jurispr. forens. part. 2. Constit. 30. def. 43. Dn. Hahn. in observ. ad Wesenb. tit. de Pign. n. 5.* Ratio abolitionis est, ut captionibus creditorum & fraudibus occurratur, ne per occasionem hujus pacti res debitorum maximi sæpè pretii pro pecunia pusilla ad se avocent. Quod facile imò semper futurum erat, si ejusmodi pactum egenis debitoribus adeò nocivum expressa lege non esset improbatum atque prohibitum. Nam creditores cupiditate ducti rei acquirendæ nunquam sanè pecuniam sub pignore credituri essent, nisi hac lege commissoria adjecta: Debitorum autem pecuniæ accipiendæ necessitate districti, neque hanc neque aliam quamlibet legem recusabunt, modò pecuniam quâ indigent in præsentem accipiant, dum sperant se pignus posse intra præstitutum tempus luere. Sed de hac lege pluribus à nobis in lectione, quam vocant cursoria, dictum est, quæ huc repetere nolumus, videantur præter suprà allegatos. *Donell. tract. de Pign. cap. 11. Anton. Peretz ad tit. C. de Pact. pign. n. 4. Giphan. ad l. 3. C. eod. tit. Mudæus tract. de pign. & hypoth. tit. de Pacto legis commiss. Mastert. sing. tract. de Lege commissor.*

D

CAP.

CAP. II.

De Creditoribus quibus facultas distrahendi competit eorumque officiis & juribus.

1. Facultatem distrahendi habent ii creditores quibus & jus pignoris revera competit: Ex hoc enim illa alienandi facultas tota dependet. Hinc cum ex *l. 16. C. de Pign.* certum sit pignoris jus neminem exinde consequi quod ipsius pecunia mutuò data sit, consequens est nec mulieri, cujus pecuniam maritus mutuum dedit, facultatem alienandi suo nomine competere. *l. pen. C. de distract. pign.* Hinc quoque creditor chirographarius cum pignoris jure & hoc ipso facultate quoque alienandi destituatur, in præjudicium creditoris hypothecarii pignus vendere non potest, & si vel maximè vendat, à creditore tamen hypothecario poterit auferri. *l. 17. C. de distract. pign.* Undè porrò quoque deducitur toties cessare distrahendi facultatem, quoties ipsum pignoris jus cessat. Sivè itaque solutione vel ex voluntate creditoris satisfactione alia. *l. 6. pr. D. Quib. mod. pign.* sivè novatione. *l. un. C. Etiam ob chirograph.* sivè rei interitu. *l. 8. pr. ff. Quib. mod. pign.* sivè deniq, remissione aut pignoris aut principalis obligationis. *l. 23. C. de Pign. l. 6. 8. §. 3. & 4. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 8. §. 5. 11. 12 15. Dig. eod. l. 5. pr. & §. 1. ff. eod. It. tot. tit. C. de Remission.* alio vè modo pignoris jus tollatur, alienandi quoque facultatem tolli necesse est. Imò si ex pignore creditor tot fructus consecutus est, ut & pro sorte & usuris ipsi satisfactum sit, cessabit alienandi facultas, cum ipso jure pignus ab obligatione liberatum sit. *l. 1. C. de distract.* Quicquid enim ex pignore percepit creditor, hoc extenuat debitum, non modò quoad usuras sed etiam quoad sortem. *l. 1. 2. 3. C. de Pign. act. l. 9.*

l. 9. C. de Pign. & hypoth. l. 2. C. de Part. pign. l. 12. §. 1. verb. Nam etsi major. C. ff. de Distract. pign.

2. Officium creditoris considerari potest secundum tria distractionis tempora, nimirum quale sit I. Ante distractionem. II. In distractione & III. Post distractionem. Hoc autem triplex officium creditoris rursus vel ex natura pignoris, vel ex pactis quæ ex conventionibus pigneratitiis adjecta sunt, cognosci potest.

3. I. Ante distractionem officium creditoris jus pignoris habentis est, ut moram debitoris expectet, antequam ad distractionem proficiat. Constituitur autem in mora debitor vel per interpellationem à creditore factam *l. 32. ff. de Usur.* vel per lapsum diei solutioni præfinitæ, tùm enim dies pro homine interpellat. *l. 12. C. de contrah. vel committ. stipulat.* Ideoque si debitor paratus est vel solvere vel iudicium accipere, modò justè ad iudicium provocaverit, nulla competit creditori alienatio, ad quam tamen si nihilominus processerit, pro nulla ea habebitur. *l. 5. C. de distract. pign. add. l. 24. pr. ff. de Usur.* Ita quoque si pacto dies solutionis proferatur, creditori interea pignus distrahere nequaquam licebit. *l. 4. ff. de Distract. pign. l. 5. §. 1. ff. Quib. mod. pign. vel. hypoth. solv.* Ratio horum omnium ex definitione & principiis à nobis positis dependet. Pignus namque datur in securitatem: Securitas petitur ex facultate alienandi, si solutio facta non fuerit. Si itaque ad solvendum paratus sit debitor, aut solutionis tempus nondum existat, injustè creditor suæ securitati distrahendo remedium quarit.

4. Deindè officium debitoris ante distractionem est, ut cum venditurus est, hoc denunciet ac notum faciat debitori solutionem detractanti vel testatò i. e. testibus adhibitis

D 2

si potest

si potest. *l. 4. C. de Distract. pign.* Quò debitor pignus, si velit, adhuc luere vel rationem invenire possit ut minore suo incommodo pignus vendatur: Et cùm plurimum interesse possit debitoris denunciationem factam esse, ideò creditor hanc prætermittens, non satis b. f. gessisse videtur, atque adeò hoc nomine debitori tenebitur, ut probatur. *l. cum contra 4. C. Si vend. pign. agatur. add. Bald. add. l. n. 3.*

5. Ultimo loco peculiare hìc quoque est officium hypothecariorum s. eorum qui nudum jus pignoris sine possessione habent: Hi enim antequam distrahant, ut pignoris sibi parent possessionem requirunt. Hanc autem possessionem non propria sed iudicis auctoritate apprehendere fas est. *l. 14. C. de Distract. l. 10. C. de pign. act.* Secus si factum fuerit *L. Julia de vi tenebitur Creditor. l. 3. §. 2. ff. ad L. Jul. de Vi privat.* Incidet quoque in Edictum *D. Marci l. 13. ff. Quod met. caus. l. 7. ff. ad L. Jul. de Vi privat.* Imò & vi bonorum raptorum conveniri poterit. *l. 3. C. Vi bon. rapt.*

6. Sed quid si creditor ex speciali pacto facultatem propria auctoritate rem hypothecatam invadendi habeat? Tùm equidem vim facere non videtur, si propria auctoritate invito debitore hypothecam invadat: Rectius tamen fecerit, si magistratus adhibeat auctoritatem ejusque auctoritate hypothecam adipiscatur. *l. 3. C. de Pign. & Hypoth.* Sunt enim bella privata regulariter prohibita quamdiu Magistratus officio locus est. Belli verò privati speciem habet si propriâ quis auctoritate & vi quadam bona debitoris pignerata occupet. Notandum verò iudici est, quod hac dere aditus non possit creditori facultatem pignoris invadendi concedere sine prævia debitoris citatione. Siquidem in omni sententia interlocutoria citatione opus est ejus, cui præjudicium parere potest. *l. 47. pr. ff. de Rejudic. l. 39. ff. de Adopt.*

Adopt. l. 8. ff. de aqu. & aqu. plu. arcend. Neque licebat creditori, qui semel judicem adivit, postmodum variare, à judicio iterum recedere, ac possessionem propria auctoritate ingredi. Postquam enim ad judicem mitu est, iudicium quoque ejus exspectari debet. *arg. l. 30. ff. de Recept. qui arbitr. recep. l. 21. §. ult. D. Quod met. caus.* Quapropter cautus sit creditor, sibi que in petitione coram iudice facta reservet facultatem, quam habet, ingrediendi possessionem propria auctoritate. Hoc enim proprium protestationis, ut servet jus protestanti. *cap. sollicit. 54. ext. de Apell. arg. l. 3. §. 1. ff. Quib. nod. pign. l. 7. pr. ff. Qui satisd. cog. vid. Neguz. qui hujus cautelæ creditorem admonet, d. p. 4. n. 26. Alex. Conf. 130. n. 16. lib. 4.*

7. II. Circa ipsam distract. hæc traduntur ad off. Creditoris pertinere, primum ut distractionem non fraudulenter sed b. f. faciat: Bona verò fide facit, si ea omnia observat, quæ diligens paterfam. in re sua vendenda observare solet: Is autem hoc agit, ut res facile emtorem inveniat, eamque quanti pluris potest vendat. Idem itaque in vendendo pignore servabit creditor. *l. 4. 7. & 9. C. de Distract. pign. l. 1. & 3. C. Si vend. pign. agatur.* quò & ipse solutionem inde suam percipere ac superfluum debitori restituere possit. Deinde probè quoque attendere debet Creditor, pro quo debito distrahat. Pro eo enim debito cujus ratione posterior est, non rectè distractionem faciet, nisi jus prioris pecuniâ oblatâ sibi comparaverit. *l. 5. pr. ff. de Distract.* Neque enim à posteriore creditore jus prioris imminui potest: Sed semper priori creditori integrum est distractionem à posteriore factam revocare, quantumvis posterior creditor solus de hypotheca vendenda expressim convenerit pignusque traditum habuerit. *l. 12. §. ult. ff. Qui pot. in pign.* Tandem & cætera

paeta observare tenetur creditor, quibus in initio contractus vel conventionis hypothecariae modus distrahendi praescriptus est. *l. ult. §. 1. C. de jure dom. impetr.*

8. III. Post distractionem officium creditoris est, pecuniam ex vendito pignore redactam in usuras & sortem computare: ubi tamen liberum ipsi relinquatur, in usuras prius acceptum pretium computare. *l. 35. pr. ff. de Pign. act. add. l. 5. §. 2. ff. de Solut.* Secundò creditoris quoque est, hypothecam i. e. superfluum pretii quodque debitum ipsius excedit debitori restituere. *l. 24. §. 2. modò creditor pretium ab emtore acceperit: Si enim emtor nondum solverit, creditor non ulterius quàm ad cedendas actiones poterit conveniri. Quin imò non superfluum tantùm, sed etiam usuras illius superflui solvere compellitur creditor. l. 42. ff. de Pign. act. si vel in mora restituendi extiterit, vel etiam foenori superfluum dederit, eovè usus fuerit. l. 6. §. 1. l. 7. ff. de Pign. act.*

9. Tertium quod hoc capite considerandum proposuimus, sunt jura creditoris, quae qualia sint ante distractionem & in distractione, ex iis quae dicere antevertimus satis superque constare poterit. Restat itaque hoc loco dicendum de juribus quae competunt creditori post factam distractionem: quorum primum omnium est, quod de evictione emtori non teneatur. *l. 20. ff. de Distract. pign. l. 11. §. 16. ff. de Act. emt. tot. tit. C. cred. evict. pign.* adeò ut ne ad restituendum pretium quidem ab emtore compelli possit. *l. 1. C. d. t.* Quinimò licet pretium emtor nondum solverit, sed creditori caverit se soluturum, evictione facta nihilominus creditor pretium petere, nec ulla ab emtore exceptione submoveri potest. *l. 68. pr. D. de Evict.* Si tamen ipsemet creditor rem venditam ab emtore evincere velit, audiendus non erit.

erit. *l. 20. ff. de Distract. pign.* Atque hoc quod de evictione non præstanda hîc dicimus, locum quoque habet & cum prætorium pignus publicè distrahitur: Non enim de evictione tenetur executor, qui pignus in causam rei judicatæ captum vendit, sed de pretio aget emtor adversus eum, cujus nomine res est distracta. *l. 50. 74. ff. de Evict. l. 13. C. de Evict.* Denique si fiscus creditor jure pignoris prædium obligatum vendat, evictionem non debere, cum privatus creditor eodem jure utatur, rescripsit Alex. Imp. *l. 1. C. cred. evict. pign.*

10. Sed cui tandem evictionis onus incumbit? Resp. debitori. Nam contra hunc emtori utilis actio competit. *l. 12. §. 1. ff. de distract. pign. l. 50. l. 74. §. 1. de Evict. l. 13. C. eod. l. 1. pr. C. credit. evict. pign.* vel etiam contraria pigneratitia, quàm emtor creditori cedere cogitur. *l. 38. ff. de evict.* Ratio hæc est, quod pecunia ab emtore soluta debitori ad solutionem proficit. *l. 12. §. 1. ff. de Distract. pign.* Undè æquisum est ut propter commodum hoc ad evictionem emtori teneatur, & ita creditorem immunem præstet, qui nil nisi quod sibi debetur consecutus est.

11. Hæc quidem omnia licet dicto modo se habeant, plurimum tamen refert, an rem tanquam suam creditor vendiderit, an verò jure creditoris tanquam sibi oppigneratam. Si jure domini ut suam vendidit, fanè quod reliqui venditores emtoribus actione ex emto præstare debent, idem in hac specie creditor præstabit, puta evictionem. *l. 11. §. 1. 2. ff. de Act. emt. vend. l. 12. §. 4. ff. de Pign. distract. l. 68. ff. de Evict.* Sin autem jure creditoris vendidit, sine dubio evictionem non præstat. Jure autem creditoris vendere censetur, si vendat b. f. [nam si sciat rem esse alienam & in dolo sit, ipse tenetur de evictione. *l. 2. C. credit. evict. pign. l. 11. §. 16. de act.*

de act. emt.] si creditor revera & potior cæteris sit, res etiam revera ipsi sit obligata. *l. 1. in fin. C. credit. evict. pign.* Si itaq; prorsus immunis esse ab evictionis onere creditor velit, quatuor omninò præstare debet, 1. rem sibi esse obligatam. 2. se potiozem esse reliquis creditoribus. 3. nihil fraude dolovè à se factum. 4. licuisse illi pignus distrahere: quæ si præstiterit planè securus est, nisi nominatim se pro evictione obligaverit, tum enim ex conventionem sua conveniri ad evictionem præstandam potest. *l. 1. & 2. C. Credit. evict. pign. vid. Peretz. ad tit. C. credit. evict. pign. n. 4.* Sed nam in casu promissæ evictionis regressum adversus debitorem habet creditor? Ultime. Nam si res nondum evicta est, evictio tamen metuatur, consulitur creditori adversus debitorem per retentionem cæterorum pignorum, si quæ fortè unà cum eo, quod venditum est, obligata sunt, donec ipse debitor cautionem præstiterit creditori de indemnitate, si super evictione conveniatur. *l. 8. §. 1. ff. de Pign. act. add. l. 11. §. 16. ff. de act. emt. vend.* Est enim regula magistralis: Quem de evictione tenet actio, ipsum agentem repellit exceptio. Si verò res evicta est, & conventus creditor de evictione solverit, contra debitorem actionem pigneratitiam contrariam habet. *l. 22. §. ult. ff. de Pign. act. Bachov. lib. 3. cap. 25. n. 4. & seqq.* ubi & creditorem actione pristina ex contractu debitum persequi posse existimat. *arg. l. 12. §. 1. in fin. de distr. pign. l. 23. ff. de Pign. act.* quatenus pretium, quod refundere coactus est, accepisse, & pignus hinc reverà solutum esse, dici non possit.

12. Sed quid si creditor dum vendit pignus, promiserit duplam evictionis nomine & exactus fuerit? an à debitore repetere potest? *Neguz. part. 6. membr. 1. n. 41. in vers. sextò queritur &c.* proponit tres casus, quibus creditor possit

possit repetere duplum. 1. Si aliter rem vendere non potuerit. 2. Si ex consuetudine regionis dupla promittenda fuit. 3. Si ob duplam promissam plura rem vendiderit. Primus & ultimus casus probantur *ex l. 22. §. ult. de pign. act.* Secundus casus licet expressa lege non probetur, tamen per rationem est, ut excusatus sit creditor, si fecit, quod ex more regionis faciendum fuit, & quod ipse debitor si vendidisset, facere coactus fuisset. Extra hos proinde casus si creditor duplum promiserit & praestiterit, sibi imputabit, & contra debitorem in simplum tantum regressum habebit, *per l. 23. in pr. ff. de Pign. act.*

13. Deinde ad jus creditoris quoque pertinet, quod si pignora distracta sint, nec tamen ex pretio eorum integrè satisfactum sit creditori, supersit ipsi adhuc actio ipsa de residuo debiti à debitore exigendo. *l. 3. C. de Distract. l. 28. ff. de Reb. cred. si cert. petat.* Solutio enim debiti, non nuda venditio pignoris debitorem liberat. *l. 10. C. de oblig. & act. l. ult. §. 4. C. de jur. dom. impetr.* Pari ratione si pignus cesserit creditori debitor [nisi creditor id in solidum debitum pro soluto acceperit] non propterea liberatur. *l. 1. C. de Pign.* Quin & amplius si pretium citra culpam suam ab emtore creditor consequi non possit, adhuc actio integra contra debitorem manet. *per l. 9. in pr. de Distr. pign. l. 24. §. de Pign. act.* Ex qua ultima lege & hoc notandum est, quod creditor vendens pignus, possit habere fidem de pretio. *vid. Neguz. part. 6. memb. 1. n. 37. in pr.* si modò non potuit aliter vendere: aliàs si potuisset statim consequi pretium, culpa ipsi imputabitur, si emtor vel ab initio non fuerit solvendo, vel postea non solvendo factus fuerit.

13. Tandem peculiare quoque jus notandum venit, quod creditori posteriori tributum est: Hic enim si vendi-

E

derit

derit pignus cum nondum deberet, non tamen à priore creditore ob hoc potest, conveniri, sed datur tantummodo priori sua hypothecaria, quâ adversus emtorem qui possidet experiri potest. *l. 1. ff. de Distract. pign. add. Bachov. lib. 3. cap. 29. n. 1. usq; ad 6. tract. de Pign.*

CAP. III.

De debitoribus eorumque juribus quæ circa distractionem attendenda veniunt.

1. Cum de debitore constet quod dominium rei pignoratæ penes ipsum maneat; hinc rem quoque pignoratam jure domini, salvo tamen jure pignoris, vendere potest. *l. 9. C. de Pign. l. 12. C. de distract. pign. l. 18. §. 2. de Pign. act. l. 10. de Remiss. l. 34. §. ult. & l. sequ. ff. de Eviction.* Non incredibile hic occurrit quæstio, num scilicet pactum, quo interdicta est debitori alienatio sive venditio pignoris subsistat? Affirmamus id per *l. 7. §. fin. ff. de Distract. pign.* Quamvis in lectione ejus veteres adhuc Interpp. admodum variare, ac mirum in modum, sed præter rem fortè, sese torquere non ignoremus. *vid. Besold. sect. 5. n. 8. in Dissert. de Pign. Anton. August. 4. emend. 17. Hottom. in epit. tit. de Distract. pign. n. 13.* Et si vel maximè lege destitueremur, non desunt tamen rationes hoc svadentes vel prægnantissimæ. Etenim si omnia pacta servanda sunt quæ non contra leges & bonos mores sunt, utique oportebit & hujus pactionis aliquem esse effectum: præsertim cum creditoris maximi intersit ipsum debitorem possessorem ac dominum rei pignoratæ manere. Nam præterquam quod potentior non rarò adversarius objiciatur creditori, probatio quoque longè ipsi redditur difficillima. Quippè cum hypothecariâ adversus tertium possessorē intentatâ, necessitas ipsi imponatur

tur

tur probandi vel dominium debitoris, vel quod saltem obligationis tempore res pignorat in illius bonis fuerit. *l. 3. l. 15. §. 1. ff. de Pign. l. 23. ff. de Probat.* de quo sanè debitor nullam posset controversiam movere, si adhuc possessor ipse rei pignoratæ à creditore conveniatur. Omnium autem maximè id hodiè æquitas postulare videtur, postquam per *Nov. 4. & auth. sed hodiè C. de Fidejussor.* actio hypothecaria non nisi excusso principali debitore ac fidejussoribus adversus tertium possessorem locum habet, quod quidem sine circuitu ac sumptibus maximis fieri non potest. Hæc de debitore.

2. Quod debitoris jura concernit hæc ferè sunt: 1. Quod ante distractionem re adhuc integrâ eam, ne fiat, impedire possit, si scilicet paratus sit solvere debitumque offerat, & si creditor accipere recuset, pecuniam obsignatam deponat. *l. 8. C. de distract. l. 2. C. Debit. vendit. pign. l. 6. §. 1. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 18. §. 4. l. 25. §. 14. fam. ercisc. l. 65. de Evid.* 2. Potest & ipse debitor cui & quando vult pignus licitè distrahere, modò ex pretio satisfaciat creditori. *auth. Hoc ita. C. de pign.* Quod si factum non fuerit creditor vel personali actione debitorem pro debito, vel reali putà Serviana possessorem hypothecæ convenire potest. *l. 14. C. de Pign. & hypoth.* quod posterius tamen, uti jam antea monuimus correctum est per *auth. Hoc si debitor. & Nov. 4. c. 1.* quæ Reos principales & intercessores priùs excutiendos esse præcipit, quàm adversus possessores agatur. Sed quid si pactum intercesserit ne debitor possit pignus alienare? an hoc auferet ipsi facultatem impetrandi distractionem? Non puto, si idoneam creditori cautionem præstet de indemnitate, vel etiam ipse debitor cautionem accipiat ab eo, qui emturus est, ut pretium rei venditæ, usque ad summam de-

biti eidem solvat: Etenim cū debitori hoc ipsum prodesse, creditori verò nihil nocere possit facile concedendum videtur. *arg. l. 1. §. 11. l. 2. §. 5. ff. de aqu. & aqu. plu. arcend. add. Francisc. Card. Mantic. lib. 11. tit. 6. de tacit. & ambig. convent.*

3. Post distractionem nullum jus debitoribus superest, ad recuperandum pignus, nec si ipsi creditori pignus venditum sit. *l. 2. C. Si antiqu. cred.* Sed hæc ita se habent, si creditor b. f. & non fraudulenter pignus vendiderit: Nam si malâ fide creditor in distractione versatus fuerit, vel vindicare debitor rem venditam potest oblato debito cum usuris; aut si usucapta res sit, personali aget actione i. e. pigneratitia adversus creditorem ad pretium restituendum vel totum, si nullum jus vendendi creditor habuit; vel si vilioris m. f. vendidit, cū jus vendendi haberet, ad supplendum pretium. *l. r. 4. C. Si vend. pign. agat.* Quod si emptor particeps fraudis fuerit, in subsidium & ipse creditore non solvendo existente conveniri poterit. *l. 3. 4. C. d. t. l. r. verb. Quod si. C. eod. tit.*

CAP. IV.

De iis quibus pignora vendi possunt, quæque horum sint jura.

1. Postquam quæ sint officia & jura creditorum non modò sed & debitorum dictum est, considerandi erunt eminentes i. e. ii quibus vendi pignora possint, quæque horum sint jura subjiciendum erit. Nullus autem creditor vel sibi ipsi addicere vel interpositæ à se personæ simulatæ pignus vendere potest. Nam b. f. id facere debet, ut justum pretium pro re pignerata solvatur, quò non modò creditor solutionem debiti sed & debitor superfluū consequi possit. Ita que

Itaque si constet creditorem simulatam personam interposuisse, venditio pro nulla habetur, & debitor oblata pecunia cum usuris ad restitutionem creditorem compellere potest. *l. 10. C. de distr. pign.* Secus est si ab ipso debitore distrahente creditor pignus emerit, tunc enim emtionem semel perfectam revocare non licet, nec volenti debitori sic ulla injuria fieri potest. *d. l. 10. verbo sanè si. de distract. pign.*

2. Jura emtorum hæc sunt, quod sc. qui à creditore jus primum habente emerunt pignus, irrevocabiliter id possideant, nec à quoquam ipsis proprietas auferri possit. *l. 18. C. de Distract.* Sed qui emit à debitore, licet is pretium priori creditori solverit, tamen is pignus non irrevocabiliter possidet, sed cogitur restituere creditori secundo offerenti quod ex nummis emtoris ad priorem creditorem pervenit cum usuris medii temporis. *l. 3. ff. de Distr.* Et quamvis creditor fraudulenter egerit vendendo pignus, modò emtor per collusionem fraudis illius se participem non reddiderit, nihilom. ab eo pignus revocari nequit. *l. 7. C. eod. l. ult. C. si vend. pign.* Dantur tamen nonnullæ exceptiones 1. Nisi sub hoc pacto creditor vendiderit pignus, ut vel debitore vel se pretiū offerente emtor pignus emtū restituat. Tunc enim debitor potest actione pign. instituta à creditore petere, ut actionem emti sibi adversus emtorem pignoris cedat, & ita pretium offerre & per act. emti pignus ab emtore recuperare, vel etiam statim rei vindicatione aut in factum actione adversus emtorem agere. *l. 13. ff. de Pign. action. l. 7. pr. C. §. 1 ff. de Distract.* 2. except. est nisi debitor adversus venditionem vel ob ætatem vel ob aliam causam restitutionem in integrum petat. *l. 7. §. 1. infn. ff. de Distract.* 3. except. est, si fidejussor emerit pignus. Hic enim à secundo creditore conventus, restituere pignus tenetur. *l. 2. ff. de Distract.* Par

est ratio in secundo creditore emente; huic si offert tertius, tenebitur is tertio restituere. *l. 5. §. 1. l. 6. eod.* Ratio est in *d. l. 6.* quia posterior creditor non ita rem emere, quàm suo juri consulere videtur, si priori creditori debitum solvit.

CAP. V.

Quenam pignora possint distrahi.

1. Diximus suprà pignora alia esse legalia, alia judicialia s. Prætoria, alia Conventionalia. De legalibus & convention. pignoribus nullum est dubium quin distrahi possint: De judicialibus itidem constat ex *tit. C. si in caus. judic.* In quo etiam de modo ejusmodi pignora distrahendi agitur: Nimirum quod hæc non sola creditoris auctoritate, sed jussu judicis qui mittendo in possessionem jus pignoris tribuit, fieri debeat. *l. 2. §. 1. C. si in caus. judicat.* Ut enim totum pignoris prætorii jus ab auctoritate magistratus dependet, ita sine ejus jussu alienationem qui jus pignoris accepit facere non poterit. Et quia jussu judicis fit distractio potest creditor cum cæteris ad licitationem admitti, & ut alius quilibet emtor additione pretii certare, & ita demùm vincendo pervenire ad dominium pignoris. *l. 2. C. si in caus. judicat.* Quod tamen secus est, uti suprà monuimus, in pignore conventionali, quod emere creditor prohibetur, quia ipse est qui vendit, ut necesse sit alium emtorem esse. Verùm si nec ipse creditor pignus emere velit, in illius possessionem mittitur & vel hoc remedio res tamdiu protracta ad effectum perducitur, ut dicitur in *l. 3. C. de execut. rei judicat.* Quin imò si prorsus nullus emtor reperitur, pignus ipsi addici potest auctoritate tamen principis: præsertim si per calliditatem condemnati hoc fiat, quominus emtor reperitur. *l. ult. C. dict. tit. l. fin. §. 3. C. de jur. domin.*

domin. impetr. l. 3. C. de execut. rei judic. l. 15. §. 3. ff. de Re judic. & effect. sentent. Qui tamen modus à missione in possessionem planè diversus est, cùm per hunc prior quasi confirmetur. Magistratus enim uti heredem facere non potest ita nec dominum, & dehinc creditorem in possessionem saltem mittit, & rem pigneratam opinione quasi & cogitatione dominii, *arg. l. 22. §. 1. ff. de noxal. action. l. penult. C. de furt. l. 13. §. 1. de publician. in rem action.* possidere jubet; quemadmodum ex causa damni infecti in possessionem missus ita possidere dicitur. *l. 65. §. 33. ff. Damn. infect.* Vocatur quidem hujusmodi possessor dominus sed Prætorius & Bonitarius, qui per longum tempus demùm possidendo directum & civile capiat. *l. 65 §. 16. l. 18. §. 13. l. 44. §. 1. ff. Damn. infect.*

2. Neque verò hoc impetrandi dominii jus primùm à Triboniano introductum est, uti falsò opinatur *Anton. Fab. decad. 9. error. pragm. cap. 7. & 8.* Sed diu ante Justinianum obtinuit, uti hoc arguit *l. ult. C. si in caus. judic. quæ Gordiani est,* qui diu ante Justinianum vixit. Hoc porrò evincunt textus in *l. 1. l. 2. & l. 3. §. 3. C. de Jure dom. impetr. l. 63. §. fin. ff. de acquir. rerum domin. l. 24. ff. de pignerat. act. l. 59. in pr. ad SC Trebell.*

3. Deinde notandum venit, peculiari aditione Principis in hujusmodi impetratione opus fuisse, ut proindè *Neguzant. erret. part. 6. de pignor. membr. 1. num. 10.* qui contrarium statuit, & existimat hæc omnia per judicem ordinarium fieri auctoritate ordinariâ sibi à principe concessâ; Cujus sententia forsân, post jampridem à Justinian. in *l. un. C. de nud. jure Quirit. tollendo,* sublatam distinctionem dominii bonitarii & Quiritarii, & præsertim jure novissimo quo nunc utimur, vera erit. Hactenus *Frantz. in Comment. ad tit. de Distract. pign. n. 95. 96.*

4. Tan-

4. Tandem verò quæ circa jus domini à Principe impetrandum attendenda sint, addisci potest ex *l. 3. C. de jure domin. impetr.* 1. namq; requiritur ut exprimantur nomina debitorum, qui in solutione cessant. 2. Ut prius peragantur solennia, quæ qualia sint *l. 3. dict. tit.* enarrantur, & mox à nobis ex dicta lege subjiciantur. 3. Ut singularium rerum non generaliter omnium bonorum petatur jus domini. *l. 1. dict. tit.*


5. Soleña quæ peragēda prius sunt, quàm jus domini impetrari possit hæc sunt. 1. tenetur creditor publicè pignus venale exponere vel secundum pacta, vel si nulla pacta de modo vendendi intervenerint, facta prius denunciatione & expectato post denunciationem biennio. 2. Si pignore in publicum producto ut venderetur, nullus sese emtor obtulerit, iterum biennio elapso denunciare debitori debet, aut si nusquam reperiatur curare, ut à iudice ipsi reddatur manifestum, quo pecuniam debitam offerat & pignus recuperet. 3. Si debitor nolit offerre, aut à iudice citatus, ut tempore definito offerat, non compareat, preces Principi debitor offerre debet, ut jus domini consequatur. 4. Impetrato jure domini nondum securus satis est creditor. Nam liberum relinquitur debitori intra biennium oblato debito pignus luere, & soluto præterea interesse ob damna quæ cunctando intulit creditori. 5. Notanda quoque quædam sunt circa superfluum, si pretium pignoris debitum superet, cujus dominium creditor adeptus est: Hæc autē qualia sint ex ipso textu videri possunt, cum perspicuè satis ibi proponantur. Verū hoc impetrationis remediū, quia longum, & creditoribus non satis proficuū, moribus hodiernis vix receptum est. *vid. Dn. Struv. Exercit. 26. lib. 20. tit. 5. th. 47. Syntag. Jurispr. & quos ille allegat Perez. in h. t. C. n. 8. Dn. Carpz. 1. c. 28. d. 136. 137. Cöler. de Process. Execut. p. 3. c. 23. pr.* Ast: ipsius pagellæ angustia ad finem nos properare jubet. Uberiorem itaque hujus materiæ tractationem in id tempus servare cogimur, quo integrum, quem destinavimus de pignoribus tractatum in publicum dare vacaverit.

SOLI DEO GLORIA,

ULB Halle


3

005 132 568



YD77







B.I.G.

Farbkarte #13



Pr. g. num. 457. 7. 600.
20.

N. J. 1660, 1
O INAUGURALIS
IDICA
De
ACTIONE
ORUM,

Quam
ensu Magnifici in illustri
ctorum Ordinis
ÆSIDE
IRO
onsultissimo atque Excellentissimo

VOLK. Bechmann/
ijus Academiae celeberrimo,
erii Provincialis, Facultatis juridicæ
gravissimo, Dn. Patrono ac Promo-
am non devenerando,
ROQUE JURE HONORIBUS
DOCTORALIBUS RITE
ESSENDIS
quisitioni submittit
ssen/ Razeburgensis Saxo,
torio Jctorum
et pomeridianis
inii Anno clb Idc LX.

ypis JOH. NISII.

